

petat à DEO in fide, neq<sup>3</sup> vacillet. Hoc enim qui fecerit, nihil is à DEO impetrabit. Equidem primo & immediate impetrandi id, quod petit, fiduciam voce πιστωσ inſinuat, ſed quæ fiducia promiſſione Chriſti, in quem credimus, nitatur: *Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur id vobis.* Joh. XVI. 23. Cur enim in nomine Chriſti petamus, niſi quia, ſi ejus præſtitam pro nobis ſatisfactionem non immota fide acceptemus, DEUM nobis noſtrisq<sup>ue</sup> peccatis inimicum habemus, nihil nobis petentibus indulgentem, Rom. V. 8. 9. cum è contra per illum nobis reconciliatus nihil fit, quod cum ipſo nobis haud donet, Rom. II. 32. Ut igitur *sine fide impossibile est placere DEO,* Hebr. XI. 6. Et *quodcumq<sup>3</sup> ex fide non est, peccatum est.* Rom. XIV. 23. ita nec videtur ulla oratio, quæ DEO placeat, ad DEUM inſtitui poſſe, niſi ab eo, qui fide ſalvifica, quæ peccatum omne in oculis Divinis delet, ſit imbutus.

IX. Deinde II. non videntur hoc ipſo preces ad DEUM fundi poſſe, niſi ab homine pietatis ſanctitatisque ſtudio ſerio addicto. Qui enim DEO per fidem reconciliatus eſt, ea facit, quæ tantum beneficium requirit. Et qui credit in Chriſtum, fidem ſuum operibus demonſtrat, Jac. II. 18. Fides enim per charitatem operoſa eſt, Gal. V. 6. Cum quodcumque beneficium à Principe vel Patrono emendicaturi ſumus, qua humilitate illum accedimus, quibus donis & munuſculis illum nobis conciliamus, qua reverentia, quo obſequio favorem ejus ambimus, ut voto noſtro potiamur? Id majori longe jure à nobis requirit DEUS, ſi precibus noſtris concedere locum & in deſideria noſtra descendere debeat. Qui igitur fide à DEO donatus eſt, is eo unice adnititur, ut *lux illa fidei luceat coram hominibus, ut videant opera ſua bona & glorificent Patrem ſuum, qui eſt in cœlis.* Matth. V. 16.

X. Quod confirmant III. toties rejectæ in ſacris impiorum, quales ſunt omnes nondum converſi, preces. Vix opus eſſe videtur, adducere ejus rei teſtimonia, cum numero propemodum ſint innumera. Quorum ideo extantiora tantum recenſebimus. Rotunda eſt ſententia cœci, miraculoſe ſanati: *Scimus, quod Deus peccatores non audiat, ſed ſi quis DEI cultor eſt & voluntati ipſius obtemperat, hunc audit.* Joh. IX. 31. Dum ad ſcientiam notoriam, publiceque receptam provocat, (*ſcimus, ait*) totius Eccleſiæ hanc eſſe doctrinam, ex ſacris prophetarum oraculis hauſtam, innuit, de qua Salomo teſtatur,

tus,